



Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

Bosco, Jean a

Lovanii, 1665

Sectio Tertia. De Materia & Forma Sacramentorum Novæ Legis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)

Remedium legis naturæ non fuit utile adultis, sed necessaria fuit formalis dilectio vel contritio.

Scotus.

necessitas hinc est auctoritas Scripturæ, Aug. & Innoc. attamen pro sola Circumcisione ut collativa primæ gratiæ. Quapropter asserimus aliud remedium legis naturæ, uti non necessarium, ita neque utile fuisse adultis: sed sufficiebat illis, & necessaria erat, formalis dilectio aut contritio; quidquid in contrarium videatur sensisse D. Grego. supra citatus, ut ipsum intelligit Scotus 4. dist. 1. q. 7. n. 3. ibi: *Secundum autem, scilicet fidem cum sacrificijs pro adultis fuisse necessariam posuit.* Ubi n. 4. indicat fortassis illud sacrificium fuisse Sacramentum: *Possibile (inquit) est, quod aliquod determinatum sacrificium foret Sacramentum; non est enim contra rationem sacrificij, quod ipsum vel oblatio eius sit Sacramentum.*

75.

Voluit autem Deus majorem efficaciam annexere Circumcisioni, tum quia præcepta; tum ob perfectionem majorem legis veteris, ad quam homines disponebat; reservando interim completam efficaciam, id est, collationem primæ gratiæ & aug-

menti ejus, legi novæ, in qua, ut ostendetur in sæculis supervenientibus abundantes divitiis gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu, non unum tantum Sacramentum remissivum peccati originalis, quemadmodum in lege naturæ & veteri (nam plura agnoscere, si non hæreticum propter definitionem Florentini, saltem temerarium est) sed septem instituit signa efficacissima ex opere operato omnis gratiæ & gloriæ.

Ad quorum proinde exactam cognitionem, tum in communi, tum in particulari, accedimus, omisso Sacramentis antiquæ legis, quæ multa fuerunt (inquit Scotus 4. dist. 1. q. 6. n. 10.) scilicet purgationes ab immunditijs contractis secundum legem, oblationes hostiarum &c. pro tunc quidem efficacia gratiæ legalis, nunc autem lege veteri cessante, prorsus inutilia, imò mortifera. His itaque omisso, pro materia & forma Sacramentorum novæ legis ponitur

Scotus.

SECTIO TERTIA.

De Materia & Forma Sacramentorum Novæ Legis,

1. Compositum artificiale & morale habent respectivè suam materiam & formam, & quidem ordinariè duplicem.

Quemadmodum corpus seu compositum naturale essentialiter constituitur materiâ & formâ naturali; ita compositum artificiale & morale suam respectivè habent materiam & formam; & quidem ordinariè duplicem. Sic in sede lignea v. g. lignum habet suam propriam materiam & formam, quæ simul sumpta sunt materia proxima sedis, cui accedit alia forma, scilicet figura ad sedem requisita. Similiter in moneta area est compositio ex ære & sigillo, à qua habet valorem; & reperitur compositio in ipso ære ex materia & forma ejus substantiali. Idem videre est in hac propositione: Petrus est albus; ubi subjectum & prædicatum se habent inter se ut materia & forma; nam prædicatum determinat subjectum ad certum conceptum; & tamen utrumque respectu significationis totius orationis habet se ut materia, super quam cadit tota significatio.

2. Hæc duplicem compositionem in signo sacramentali, exprimit Scotus.

Porò hanc duplicem compositionem seu materiam & formam in signo, sive composito sacramentali exprimit Scotus 4. dist. 3. q. 2. n. 3. ibi: *Advertendum est, quod propriè loquendo de formâ, prout est altera*

pars compositi, forma Sacramenti est ipsa relatio signi, quæ formaliter est tale Sacramentum; & materia est totum fundamentum ipsius relationis. Ecce prima compositio ex Sacramento & Sacramentalitate, sive ex signo & significatione, de qua in præsentibus non agimus; quia ab omnibus admittitur. Equidem controvertitur, an sit duplex significatio partialis, altera in materia, altera in forma; an verò unica & indivisibilis tenens se ex parte utriusque? Duplicem asserit Suarez disp. 2. sect. 1. Unicam verò Vasq. disp. 129. cap. 2. n. 20. & sequentibus, quem sequitur Lugo disp. 2. n. 42. Vide Auctores citatos, quia res non meretur longiorem discussionem.

Prosequitur Doctor Subtilis: *Veritàmen si in fundamento isto sint plura, ex quibus aliquo modo fit unum Sacramentum, quæ non æqualiter se habent, sed alterum sit quasi prævium & determinabile; alterum quasi posterius & determinatio præcedentis; primum potest dici quasi materia per quamdam similitudinem ad materiam, & alterum forma: materia enim est præcedere secundum originem & determinari: forma autem sequi & determinare. Similiter illud, quod principalis & actualius,*

An duplex sit significatio partialis, controvertunt Auctores;

actualius, potest dici forma respectu potentia-
horis. Similiter quod est spiritualis potest
dici forma respectu eius, quod est minus spiri-
tuale. Igitur ex mente Scoti illud est ma-
teria in fundamento relationis Sacramen-
talis, quod determinatur; hoc forma, quod
determinat &c.

De hac compositione, sive materia &
forma quaeritur primò, an reperitur in
omni Sacramento novæ legis? Pro resolu-
tione sit

CONCLUSIO I.

**Omnia novæ legis Sacramen-
ta rebus ut materia, & ver-
bis ut forma perficiuntur;
non verò intrinsecè consti-
tuuntur.**

signis nullo modo possum. Itaque per res in-
telliguntur illa entia, quæ aliorum signo-
rum, putà verborum, sunt objecta, quorum
ut plurimum aliquis est humanus usus præ-
ter significationem, ut abluendi, unguendi
& similia. Per verba intelliguntur voces
impositæ ad significandum, ad quæ etiam
revocari possunt nutus, & earum rerum
signa, quarum nullus alius est communis
usus præter significationem.

Ex quo festinè cognoscitur, quare ver-
ba ordinariè obtineant locum formæ, quia
videlicet magis determinata in significan-
do, & pars magis principalior, magisque
spiritualis. Quamquam & contingere
possit, prout contingit in Sacramento Pœ-
nitentiæ, quòd aliqua verba, scilicet con-
fessio oris, sint materia; utique quia per
alia verba posteriora, scilicet absolutio-
nem magis determinantur.

Et si objicias: Una est & indivisi-
vis significandi, & actualis significatio
materiæ & formæ; quia una & eadem in-
stitutio divina indivisibiliter terminata ad
significationem verborum & rerum; non
enim priùs Deus instituit verba, postea
res, sed utrumque simul. Respondeo: equi-
dem verborum significatio magis est de-
terminata propter majorem aptitudinem,
quam habent verba, ut à Deo instituun-
tur ad significandum effectum Sacramen-
talem.

Quid clarius, quàm in forma consecra-
tionis? Quamquam enim ex institutione
Christi non priùs Sacramentaliter signifi-
cet, id est, significet & simul efficiat præ-
sentiam corporis & sanguinis, quàm ipsæ
species; liquet profectò vel ex sola institu-
tione humanâ, ita determinatè significare
hujusmodi præsentiam, ut falsa sint illa
verba in ore Christi, nisi efficiant, quod
sonant. Quid autem simile reperitur in spe-
ciebus, quæ ex natura sua representant
substantiam panis, & per ipsam formam,
accedente voluntate divinâ, constituun-
tur in esse signi corporis & sanguinis
Christi?

Unde rectè Lugo disp. 2. sect. 2. n. 48.
Si sermo (inquit) sit de significatione, quam
habent ex institutione; certum est tam
species, quàm verba significare æquè præ-
sentiam Christi, & nutritionem animæ;
neque enim species sine verbis, nec verba
sine speciebus aliquid horum significant,
sed omnia simul indivisibiliter; sicut sylla-
bæ omnes simul & indivisibiliter signifi-
cant rem significatam per vocem; & sicut
etiam in rebus sacris indulgentia, quæ
conceditur jejunanti & danti eleëmofynam,
non

Ex quo cog-
noscutur
quare verba
ordinariè
obtinere
locum for-
mæ.

Obiectio
solutiva.

Et declara-
tur à simili.

Lugo de ar-
bitrio

3.
Prima pars
conclusio-
nis est defi-
nita in con-
cilio Flo-
rentino;

Et funda-
tur princi-
paliter in
voluntate
Christi.

Congruen-
tia est ma-
jor explica-
tio effectus
gratiæ.

4.
Verba se-
cundum D.
Augustinū
obtinuerunt
principatū
significandi.

Prima pars est definita à Concilio Flo-
rentino in litteris Unionis ibi: *Hæc
omnia Sacramenta* (agit de Sacramentis
novæ legis; nam antiqua utpote obscuriora,
quia & status obscurior, non exigebant
aliqua determinata verba) *tribus perficiun-
tur, videlicet, rebus ut materia, verbis tan-
quam formâ, & personâ ministræ conferentis
Sacramentum, cum intentione faciendi quod
facit Ecclesia. Quorum si aliquid desit, non per-
ficiuntur Sacramentum.*

Principalis ratio est voluntas Christi,
quæ colligitur partim ex Scriptura, ut in
Baptismo & Eucharistia, partim ex com-
muni consensu SS. Patrum, ac perpetuâ
traditione Ecclesiæ; quæ à temporibus
Apostolorum usâ est rebus & verbis in ad-
ministratone quorumcumque Sacramen-
torum. Congruentia est major explicatio
effectus gratiæ: cum enim teste Apostolo
& Evangelistâ Joanne cap. 1. sui Euange-
lij v. 17. *Gratia & veritas per Jesum Chri-
stum facta sit; non abs re erat, quòd per-
fectissimis signis novi testamenti fidelibus
innotesceret. Et quæ signa perfectiora,
quàm res, quæ videntur, & verba, quæ
audiuntur? Certè visus & auditus sensus
perfectiores censentur.*

Quæritur; res, an verba perfectiùs signi-
ficent? Respondet D. Aug. lib. 2. de
Doctrina Christiana cap. 3 *Verba inter
homines obtinuerunt principatū significandi
quæcumq; animo concipiuntur, si ea prodere
quisq; velit. Rationem inferiùs assignat: Nam
& illa signa omnia, quorum genera breviter
attingi, potui verbis enuntiare, verba verò illis*

non respondet partialiter jejuniis & partialiter elemosynæ, sed utrique simul & indivisibiliter. Si autem loquamur de significatione remota & fundamentali antecedente omnem institutionem Christi, constat verba significare præsentiam, species verò nutritionem. Sed hæc speculativa pro clariori intelligentia Florentini.

6. Notandum primò Eugenium etiam loqui de materia remota Sacramenti.

Adverte primò, Eugenium in verbis præallegatis non minus loqui, imò magis, de materia Sacramenti remota, quàm proxima. Nam (inquit) materia Baptismi est aqua vera & naturalis, materia Confirmationis *chrisma*, materia Eucharistiæ panis triticus & vinum de vite, materia extremæ Unctionis oleum olivæ, quæ omnes sunt materiæ remotæ, ut infra proprijs locis explicabitur.

Notandum secundò non intendere Pontificem in omnibus Sacramentis, accipiendò pro singulis generum, requirantur verba formalia.

Adverte secundò: Concilium non intendit, quòd in omnibus Sacramentis, accipiendò pro singulis generum, requirantur verba formalia sive propriè dicta. Coligitur, quia §. Septimum est Sacramentum Matrimonij: *Causa* (ait) *efficiens Matrimonij regulariter est mutus consensus per verba de præsentem expressus*. Ergo in casu necessitatis, v. g. si contrahens est mutus, validè & licitè exprimitur per nutus, aut alia signa æquipollentia: nam exceptio firmat regulam in contrarium; & expressè deciditur cap. *Tua fraternitati* de Sponsalibus, ibi: *Nam surdi & muti possunt contrahere Matrimonium per consensum mutuum sine verbis*. De quo latius in proprio tractatu.

Solum hîc nota ideo Pontificem usum fuisse generali locutione; quia in solo Matrimonio erat exceptio, & nulla est regula tam generalis, quin aliquam patiat, aut pati possit exceptionem.

7. Non posse penitentiam solis verbis perfici, sufficienter docet Pontifex assignando pro quali materia cordis contritio nem,

Enimverò quòd aliqui sentiunt Penitentiam perfici posse solis verbis, oris scilicet confessione & absolutione, satis improbat Concilium, quando pro quasi materia assignat cordis contritionem, dicens: *Quartum Sacramentum est Penitentia, cuius quasi materia sunt actus penitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet ut doleat de peccato commisso cum proposito de cetero non peccandi*.

Qualiter & loquitur Concilium Trident.

Eodem ferè modo loquitur Trident. sess. 14. cap. 3. ibi: *Sunt autem quasi materia huius Sacramenti penitentis actus, nempe contritio &c. quam cap. 4. in principio definit: Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero*. Quis autem ambigit dolorem illum, atque propositum esse actum voluntatis?

Et si contra arguis; quia dolor ille non est sensibilis, nisi per verba. Respondeo, per alia signa posse fieri sensibilem: nam & ipsa confessio oris, quamvis ex consuetudine requirat verba propriè dicta, indubiè tamen in defectum vocis fieri potest, imò & debet, nutu vel scripto.

Infer aliquis: Ergo sicuti confessio oris quocumque signo externo fiat, censetur verbum, & non res; ita etiam contritio. Respondeo disparitatem esse, quòd contritio formaliter sit actus voluntatis; confessio autem externa enarratio peccatorum, quæ quia communiter fit verbis propriè dictis, ideo aliud quocumque signum, quod in locum ejus substituitur, rationem obtinet verbi, & non rei; & per consequens signum externum contritionis, tamen si esset verbum propriè dictum, magis res, quàm verbum censendum foret.

Sanè si una & eadem esset pars contritio & confessio, malè diceret Florent. *Quarum prima est cordis contritio &c. Secunda est oris confessio*. Et Trident. perperam enumeraret tres actus penitentis, nempe contritionem, confessionem & satisfactionem.

Taceo contritionem posse subsequi confessionem, ut dicam in materia de Penitentia. Certè clarissimum est, materiam circa quam, sive objectum absolutionis esse peccata, quæ etsi solius oris essent, essentialiter tamen involvunt actum voluntatis, ut omnes fatentur cum D. Aug. lib. de vera Religione cap. 14. ibi: *Vt ad peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum propriè dictum, si non sit voluntarium*. Unde ipsa veritas Christus Matth. 15. v. 19. testatur: *De corde exeunt cogitationes mala, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia: hæc sunt, quæ coinquinant hominem*.

Secunda objectio (inquit Lugo disp. 2. sect. 1. n. 7.) est ex Sacramento Matrimonij, quod solis verbis perfici videtur; illis scilicet quibus conjuges mutuum consensum expriment. Deus bone quàm hîc laborat Card. ut inveniat solutionem! Et postquam folia chartæ implevit verbis, vix tandem intentum assequitur. Ast meo judicio, salvo meliori, res est facilissima; quippe secundum communem sententiam, quam Lugo non negat, corpora contrahentium sunt materia remota; quis autem sanæ mentis asserit illa non esse res?

Si dicas: contrahentes sunt ministri, ergo non materia; enimverò Pontifex ponit ministrum tanquam distinctum à materia inquirens:

Objectioni occurrunt.

Contritionem & confessionem non esse eandem partem ex Florentini & Trident. constat.

S. Aug.

Matth. 15.

8.

objectio desumpta ex Sacramento Matrimonij.

Lugo.

Solvitur; eo quòd corpora contrahentium sunt materia remota.

Illationi quòd contrahentes sint ministri, adeoque non materia.

Sect. 3. De Mat. & forma Sacram. Concl. 1. 41

Responde-
tur primo.

Inquiens : *Hac omnia tribus perficiuntur materia, forma & personam ministri.* Respondeo primo, corpora contrahentium esse distincta ab ipsis contrahentibus, uti pars distinguitur a toto.

Responde-
tur secundo.

Respondeo secundo cum Lugone supra num. 32. sufficere distinctionem virtutalem, quam nemo inficiatur reperiri inter contrahentes, ut sunt ministri, & eosdem, ut obtinent locum materiae circa quam: sicut tutor vendens & emens rem pupilli sui duplicem virtualiter sustinet personam: & sicut legislator seipsum obligans aut secum dispensans, caput est, atque membrum communitatis.

9.
Fundamen-
tum pri-
mum expli-
cationis Flo-
rentini.

Fundamentum huiusmodi explicationis Concilij assigno Primum; quia non distinguit simpliciter inter materiam & ministrum; sed nominat personam ministri conferentis Sacramentum cum intentione &c. Clarum autem est, illam intentionem propriam esse soli ministro quales. Quidni ergo ratione illius sufficienter distinguitur a se ipso, ut suscipiente Sacramentum, vel ut materia circa quam?

Fundamen-
tum secun-
dum.

Secundum; quia cum assignasset Eugenius aliorum Sacramentorum materias & formas realiter inter se distinctas, ubi pervenit ad Sacramentum Matrimonij, non ait: *Huius Sacramenti materia sunt corpora contrahentium, forma verba quibus exprimitur internus consensus, minister ipsi contrahentes;* sed exprimit solam causam efficientem, dicens: *Causa efficiens Matrimonij &c.* tacite innuens, non reperiri inter materiam, formam & personam ministri illam realem diversitatem, quae invenitur in alijs Sacramentis. Plura de materia Matrimonij proprio loco.

10.
Notandum
tertio per
formam all-
quando SS.
Patres intel-
ligere for-
malem obli-
servari soli-
tam in ad-
ministratio-
ne Sacra-
mentorum,
& Augu-
sti.

Adverto tertio, per formam aliquando SS. PP. intelligere formulam sive ritum observari solitum in administratione Sacramenti. Ita accipit D. August. lib. 1. de Peccatorum meritis cap. 34. ibi: *Quid de ipsa forma Sacramenti loquar? vellem aliquis istorum, qui contraria sapiunt, mihi baptizandum asserret. Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur? ipse certe mihi fuerat responsurus pro eodem parvulo, quem gestaret, quia ille per se respondere non posset &c.* Et tandem concludit *Falsam igitur vel fallacem parvulis tradi Baptismatis formam, in qua sonaret, quod utique agi videretur, & tamen nulla fieret remissio peccatorum; viderunt aliqui eorum, nihil execrabilius ac detesta-*

bilius dici posse atque sentiri. Ubi aperte constat formam Baptismi appellari ab Augustino illam formulam seu ritum Baptismi, quatenus comprehendit exorcismos &c.

Porro illam, quam hic nominat formam Sacramenti Epistola 105. ad Sixtum, paulo ante finem vocat ritum, ibi: *Circumspiciantur enim (Pelagiani) & divinarum auctoritate lectionum, & antiquis tradito, & retento firmiter Ecclesiae ritu in Baptismate parvulorum, ubi apertissime demonstratur, insanes & cum exorcizantur, & cum ei per eos, a quibus gestantur, renuntiare respondent, a diaboli damnatione liberari.*

Hunc etiam modum loquendi usurparunt Patres Concilij Milevitani (cui interfuit Augustinus) cap. 2. & habetur c. placuit 153. de Consecratione dist. 4. *Placuit ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expiatur (unde fit consequens, ut in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur) anathema sit.* Eisdem plane verbis utitur Concilium Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato originali §. 4.

Adverto quarto, ut propius accedamus ad secundam partem conclusionis, non esse idem in decreto Eugenij, Sacramentum perfici materia & forma, & Sacramentum intrinsece constitui sive componi ex materia & forma. Declaro ex ipsis verbis: *Omnia (inquit Pontifex) Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & personam ministri.* An ergo personam ministri intrinsece constituitur Sacramentum? Negant omnes. Assignat Eugenius pro materia Eucharistiae panem & vinum: num ideo ex pane & vino intrinsece componitur hoc Sacramentum? Nemo asserit. Satisfactio dicitur quasi materia, aut saltem pars quasi materiae Sacramenti Poenitentiae, quae tamen juxta communem & certissimam omnium Theologorum sententiam non est nisi pars integralis.

Dices: Non est intelligibilis alius compositio unius totius per modum partium essentialium. Respondeo; in composito naturali & physico, quod requirit omnes partes simul existentes, concedo: in composito morali, quale est Sacramentum, cujus

F una

Idem

Prout intel-
lexerunt Pa-
tres Conci-
lij Milevita-
ni,

Et Concilij
Tridentini.

11.
In decreto
Eugenij non
est idem Sa-
cramentum
perfici ma-
teria & for-
ma, & in-
trinsece est
ijis constitu-
tum

Objectioni
satisfit.

una pars, etiam subinde longo tempore, aliam precedit, nego. Ut ut sit, certum est definitionem Concilij non posse intelligi de rigoroſa & proprie dicta compositione; cum Sacramentum non sit reale & proprie dictum compositum.

Unde nec per materiam & formam intelligenda venit proprie dicta materia & forma, ut perspicue indicant ambo Concilia Florent. & Trident. dum pro quasi materia Penitentiae assignant contritionem, confessionem & satisfactionem. Et fortassis idcirco nusquam utuntur verbo *componuntur*, sed *perficiuntur*, id est, requirunt ad sui existentiam sive formaliter sive praesuppositivè.

Ex quo citius cognoscitur nimis leviter aliquos dixisse, oppositum secundae partis conclusionis esse definitum in Concilio Florent. supra, cum non solum Florentinum, sed etiam Trident, magis videatur sententiae nostrae favere, quae est Scoti diversis in locis.

Nam in primis Eucharistiam consistere essentialiter in solis speciebus consecratis docet 4. dist. 8. q. 1. n. 6. & 7. & quaest. 2. n. 3. Cum enim hoc Sacramentum sit permanens, nequeunt verba, utpote naturae suae transitoria, esse de intrinseca illius ratione. De substantia panis & vini similiter evidens est: quamquam praesuppositivè requiratur, velut materia ex qua, & transiens; prout verba tanquam principium effectivum, utpote quibus *Sacerdos* (verba sunt Florentini supra) *in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum*. Plura in materia de Eucharistia.

Praeterea, Penitentiam intrinsece constitui solis verbis absolutionis, indicat Doctor Subtilis 4. dist. 14. q. 4. n. 3. & expressè habet dist. 16. q. 1. n. 7. Ratio breviter est: quia sola absolutio significat sacramentaliter gratiam remissivam peccatorum, ut (Deo favente) ostendam in disp. de Penitentia, unàque satisfaciam objectionibus Thomistarum, aliorumque communiter Theologorum, qui secuti Doctorem Angelicum contrarium sustinent.

Denique Sacramentum Matrimonij essentialiter absolvi mutuo consensu per verba vel alia signa aequivalentia de praesenti expresso, colligo ex Scoto 4. dist. 16. q. 1. num. 17. in definitione hujus Sacramenti, quam hic non profero, ne in principio longior sim, quam oportet. Caeterum ratio est: quod sola ista verba vel alia signa aequivalentia, minimè autem corpora contrahentium (quae sunt materia Sacramenti, ut supra dictum est, & obje-

ctum dumtaxat, circa quod contractus matrimonialis versatur) significant effectum Sacramenti.

Porro reliqua Sacramenta perficiuntur rebus ut materia, & verbis ut formà, sic ut utraque sint de eorum intrinseca essentia, quoniam efficaciter significant gratiam sacramentalem, ut discurrenti per singula facile patebit.

Atque hic finis fuisset praesentis conclusionis, nisi apud Lugonem reperissem novam & haecenus inauditam opinionem, quam fuse probat disp. 2. sect. 7. Et quae ista? Intentio Ministri intrat ad componendum intrinsece Sacramentum. Ratio autem gravissima (aliàs levissima) est: quia illud debet esse intrinsecum alicui composito, quo ablato, & manentibus omnibus alijs, non manet tale compositum; sed posita materia & formà Baptismi, & omnibus, praeter intentionem Ministri, non datur Sacramentum; ergo illud, quod deerat, nempe intentio, erat aliquid intrinsece componens Sacramentum: alioquin nihil deesset intrinsecum; & per consequens, deficiente intentione, daretur totum esse intrinsecum Sacramenti, atque adeo daretur Sacramentum, quod nihil aliud est, nisi totum suum esse intrinsecum. Haecenus Cardinalis.

Qui eoque progressus fuit, ut etiam peccata dixerit esse de essentia intrinseca seu partem essentialem Sacramenti Penitentiae; sed absque ullo fundamento: cum aliud sit ab aliquo essentialiter praesupponi, praerquiri, connotari: aliud directè & intrinsece in aliquo tanquam partem componentem contineri. Enimvero etiam Deus v. g. involvitur in objecto contritionis, & tamen non est pars Sacramenti Penitentiae. Similiter creator praesupponitur cuilibet creaturae, & quilibet causa suo effectui, & tamen quis nesciat non esse partem essentialem illius? sic objectum necessarium est actui, & terminus relationi; an propterea de intrinseca essentia vel objectum actus, vel terminus relationis? Noli cogitare, noli dicere; sed mecum dic:

Intentio ministri non intrat ad componendum intrinsece Sacramentum, sed est terminus extrinsecus essentialiter requisitus. Ita longè & latè, imò longius & latius quam controversia merè speculativa postulet, Dicastillo Tract. 1. disp. 1. dub. 19. per totam.

Probat per primò: quia nullum Concilium intentionem inter partes recensuit, neque etiam ullus Theologorum ante Lugonem:

non

Per materiam & formam non intelligenda proprie dicta materia & forma; ut ex Concilij constat.

12. Hinc colligitur non dicendum oppositum secundae partis conclusionis esse definitum in Florentino.

Eucharistia essentialiter consistere in solis speciebus consecratis, docet Scotus, cum sit Sacramentum permanens.

Similiter penitentiam intrinsece constitui solis verbis absolutionis.

Ex eodem colligitur Sacramentum matrimonij essentialiter absolvi mutuo consensu, per verba vel signa aequivalentia de praesenti expresso.

Reliqua Sacramenta intrinsece constituuntur materia & formà.

13.

Intentio Ministri, juxta Lugonem componit intrinsece Sacramentum.

Qui & peccata dicit esse partem essentialem Sacramenti penitentiae.

Quod non est fundamentum.

14.

Dicendam itaque intentionem Ministri esse terminum extrinsecum essentialiter requisitum, Dicastillo, Probat per primò.

Sect. 3. De Mat. & forma Sacram. Concl. 1. 43

non sunt autem novæ partes invenchendæ in Sacramenta ad eò membratim ab Ecclesia & DD. declarata: neque est ratio quare magis diceretur materia, quàm forma; & tamen nemo hæcenus agnovit partem aliquam essentialem præter materiam & formam.

Secundò: pariter dicendum esset intentionem suscipientis adulti esse partem Sacramenti; adeoque Baptismum adulti habere plures partes diversæ rationis, quàm parvuli, in quo non requiritur intentio.

Tertiò: Sacramentum ipsum est objectum intentionis; quippe minister intendit conficere Sacramentum: ergo non est intrinseca ipsi Sacramento; etenim non intendit conficere intentio se ipsam.

Quartò: intentio conficit Sacramentum; ergo non est de ipsius essentia, cum causa efficiens sit extra essentiam effectus.

Allegantur varia absurda: ut quòd persona suscipientis, persona ministri, in aliquibus Sacerdotium aut iurisdicctio, in extrema Unctio infirmitas, in alijs Sacramentis Baptismus; in Baptismo carentia alterius Baptismi includatur tantquam pars componens. Sufficit igitur, quòd sit terminus extrinsecus essentialiter requisitus: sicut ad valorem Matrimonij requiritur Parochus, ad valorem testamenti testes, & alia plures solemnitates, quæ tamen non propterea appellantur partes essentielles Matrimonij, aut testamenti; sed conditiones sine quibus non existit substantia hujusmodi contractuum.

Ad gravissimam (ut eam vocat Lugonius) rationem in oppositum admittam Majore, Respondet Dicastillo supra n. 352. Minorem involvere contradictionem in ea suppositione; dum ait: *Sed posita materia & forma Sacramenti, & omnibus alijs præter intentionem Ministri, non datur Sacramentum*: implicat enim contradictionem poni materiam & formam sine intentione Ministri; non quia intentio sit pars materiae v. g. ablutionis in Baptismo, aut pars formæ, quæ sunt verba, sed quia illa ablutio, & verba illa non sunt materia & forma per se tantum esse physicum, quod habent; nec à Christo sunt secundum esse physicum tantum instituta pro materia & forma Sacramenti, sed secundum quod procedunt efficienter aliqua ratione (saltem imperativè moraliter) ab intentione Ministri: adeoque secundum entitatem suam mo-

ralem, quam accipiunt à persona Ministri conferentis Sacramentum, id est, applicantis materiam & formam, symbola illa externa, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: sic quippe & non aliter sunt actio Christi, quæ sola elevata est ad dignitatem Sacramenti.

Quemadmodum ergo persona Ministri, tametsi essentialiter requiratur, nihilominus non est pars intrinsecè componens, sed causa efficiens extrinseca, quam Sacramentum ut tale essentialiter respicit; ita quoque intentio, quæ à Concilio Florentino non computatur in materia & forma, sed conjungitur personæ Ministri; adeoque illius potius conditiones, sive naturam sequi convenit, quàm materiæ aut formæ.

Sed ad hæc quid Cardinalis? Hic modus (inquit n. 130.) explicandi difficilis est; quia ij Theologi, ne dicerent id, quod sibi videbatur esse (adde & reverè est) contra sensum communem, scilicet intentionem esse intrinsecam Sacramento, asserunt alia, quæ planè multò plus opponuntur doctrinæ & sensui communi; scilicet, non omnes ablutiones & prolationes verborum posse esse materiam & formam validam Sacramenti Baptismi ex vi præsentis institutionis; sed aliquas posse esse, & aliquas non esse.

Ex quo infert primò: Unde hæc propositio universalis vera non erit: *Omnis ablutio est, quantum est de se, materia apta ad Sacramentum Baptismi*; plures enim ablutiones non sunt à Christo institutæ ad hoc Sacramentum magis, quàm percussiones, vel alia actiones disparatæ.

Hercule acutè! Non arbitror profecto quemquam vel à limine salutis institutionem Sacramentorum, quin manibus (ut communiter loquimur.) palpet evidentissimum discrimen inter ablutiones, & percussiones aut alias actiones disparatas. Quamquam enim non omnis ablutio de facto sit materia Sacramenti ex defectu alicujus respectus moralis, sive ad formam, sive ad personam ministri cum intentione, sive ad subjectum capax; ex vi tamen præsentis institutionis Christi, quantum est de se, idonea planè est, ut cæteris concurrentibus actu componat Baptismum. An forsitan etiam percussio, aut alia actio disparata? Expectabo responsonem, & venio ad secundam illationem.

Unde (inquit) consequenter possit aliquis dicere, quòd in Sacramento Matrimonij consensus internus contrahentium non sit

Offenditur à simili.

16. Responso Lugonis.

Ex communi sententia non sequitur, plures ablutiones non esse magis à Christo institutas ad Baptismum, quàm alias actiones disparatas.

Non sequitur secundò posse similiter dici consensum internum contrahentium non esse partem intrinsecam Sacramenti Matrimonij

pars intrinseca Sacramenti, sed solùm conditio requisita; Sacramentum verò constare ex solis verbis & nutibus externis: Christum autem non assumpsisse ad significandam gratiam in illo Sacramento omnia verba & omnes nutus, sed aliquos; & Deum providere, ut quando deest consensus internus, non producat illa locutio in individuo, quam Christus instituit, sed alia ex illis, quas non instituit ad significandam gratiam; atque eo pacto consensus internus non componet intrinsecè illud Sacramentum, sed sola verba, aut nutus externi tales. Et continuò subsumit: Quod tamen concedi non potest.

Affertior, idque propter rationem adiunctam: Quia (inquit) materia illius Sacramenti (vel potius secundùm Doctorem Subtilem tota essentia) est contractus legitimus; nihil autem magis intrinsecum, & essentialiter contractui (saltem Matrimonij juxta omnes Theologos) quàm consensus contrahentium: quando enim consensus deest, non datur verus contractus, sed fictus & apparens. Ergo sicut consensus est intrinsecus contractui Matrimonij, sic etiam intrinsecus est illi Sacramento: Concedo totum.

17. Prosequitur: Si autem consensus internus est pars intrinseca in Sacramento Matrimonij, non apparet cur non sit idem dicendum de consensu interno, seu de intentione in Baptismo & Confirmatione; cum eodem modo potuisset Christus instituire sola signa externa in Matrimonio, sicut in illis, & consensus in Matrimonio sit quædam intentio faciendi verum legitimum contractum, sicut baptizans habet intentionem faciendi verum & legitimum Baptismum.

Verè dixit Card. non apparet, cur non sit idem dicendum: scilicet ijs, qui relicto communi sensu fidelium novas moliantur opiniones: alioquin cæteris Theologis recentioribus, qui insistant vestigijs suorum prædecessorum, perspicuè manifesta est inconsequentia; & si quæris rationem disparitatis, aperi oculos & vide.

Et disparitas est manifesta.

Matrimonium contractus est, & quidem onerosus: nùm similiter Baptismus & Confirmatio? Nequaquam. Contractus verò quid? Jurisconsultus L. 19. *la-beo* de verborum significatione: *Contractum autem ultro citroque obligationem, quod Græci συνέλλαγμα, vocant.* Porro obligatio est vinculum morale ortum ex mutuo consensu signo aliquo externo expresso: ut proinde contractus omnem suam efficaciam accipiat ab interna voluntate se obli-

gandi; imò non videtur aliud formaliter esse, quàm voluntas se obligandi: patet in voto, quod est promissio facta Deo. ejusdem planè efficaciam sive fuerit merè internum, sive externum.

Cùm ergo Sacramentum Matrimonij essentialiter involvat contractum Matrimonij; hic autem nihil aliud sit quàm consensus seu volitio reciproca maris & femine signo externo manifestata, quâ jus perpetuum tradunt in mutua corpora ad usum conjugalem, verissimè dixit Em. supra, & omnes Theologi cum ipso fatentur, Sacramentum Matrimonij intrinsecè componi; imò nihil esse aliud formaliter quàm illas volitiones, sive intentiones se obligandi.

Idem tamen dicendum esse de intentione Sacramenti in Baptismo & Confirmatione constanter negant, idque quia Sacramentum Baptismi (& eadem est ratio de alijs) non est formaliter intentio conficiendi Sacramentum, sive faciendi quod facit Ecclesia, sed signum sensibile à Deo institutum & determinatum ad significandum efficaciter gratiam sanctificantem; ita quòd efficacia Sacramenti principaliter oriatur, non ab intentione Ministrum; sed à signo externo, ut substat institutioni & determinationi divinæ; ex qua requiritur intentio potius ut causa efficiens & agens extrinsecum, sicuti & aliæ multæ conditiones, quàm ut intrinsecum constitutum.

Instas pro Lugone: Ergo etiam in Matrimonio intentio conficiendi Sacramentum non est pars essentialis. Concedo totum. Atque in eo videtur deceptus Emin. quòd non distinxerit inter intentionem Sacramenti & intentionem contractus, quasi idem esset Sacramentum Matrimonij & contractus Matrimonij, contra unanimes consensum omnium Doctorem, quem expressit Doctor Subtilis 4. dist. 27. q. unica n. 16. ibi: *De quinta conclusione dico, quòd aliud est Matrimonium, & aliud contractus Matrimonij, & aliud Sacramentum Matrimonij.*

18. Intentio conficiendi Sacramentum Matrimonij non est pars essentialis illius.

Distinguentur inter intentionem contractus, & intentionem Sacramenti Sacros.

Et quid illustrius? Quippe contractus Matrimonij institutus est in Adamo, cum Sacramentum solùm sit institutum in nova lege. Unde etiam modò inter infideles valet Matrimonium in ratione contractus civilis, & non Sacramenti; fortè & inter fideles, si habeant voluntatem contrahendi, & non conficiendi Sacramentum: ast nunquam valet in ratione Sacramenti & non contractus: quoniam licet Deus potuisset instituire sola signa externa, & illis tanquam

Ut clarè ostenditur.

quam Dominus totius naturæ, qui perfectius habet jus in nostra corpora, quam nos ipsi, annexere obligationem matrimonialem, indubiè tamen sic non fecit; verùm contractum matrimonialem, qualis à principio fuit, elevavit ad dignitatem Sacramenti: prout quoque in alijs Sacramentis non immutavit Christus naturam physicam ablutionis, Unctionis &c. neque significationem naturalem, vel ex institutione humanam verborum; sed superaddidit significationem Sacramentalem.

Legantur hæc attentè, & confestim apparebit paritas & disparitas inter Matrimonium ex una parte, & Baptismum, Confirmationem &c. imò & Ordinationem ex altera parte: paritas quidem in ratione Sacramenti, disparitas autem in re substrata; nam sine voluntate contrahendi, sive se obligandi non est contractus; sine voluntate verò abluendi, unguendi, tradendi instrumenta Ordinis, est vera & realis ablutio, unctio, traditio; similiter sine voluntate profertur verba, vera & realis prolatio.

Et si urges: quia Christus non assumpsit nisi actiones & verba voluntaria; id ipsum & ego sentio, & ideo dico voluntariam ablutionem componere intrinsecè Sacramentum Baptismi: ergo voluntas faciendi quod facit Ecclesia, nego consequentiam: Illa quippe non includitur essentialiter in voluntaria ablutione, ut lippis atque tonforibus notum est.

Ex dictis facilè responderetur ad primam confirmationem Cardinalis supra n. 131. Quia (inquit) non minùs requiritur consensus internus in Episcopo conferente potestatem Ordinis, quam in conjugante potestatem supra corpus suum alteri conjugii: nam utraque est collatio potestatis & juris. Respondeo: sed una verus contractus, altera dumtaxat Sacramentum.

Hinc Ordinatio non est collatio potestatis: sed traditio instrumentorum cum prolatione certorum verborum; & propterea in suscipiente non requiritur vera acceptatio, necessaria ad verum contractum donationis; sed sufficit contactus physicus instrumentorum. Neque Episcopus principaliter confert potestatem Ordinis, sed solum ministerialiter; eodem modo, quo confert gratiam sanctificantem, & absolvens Sacramentaliter exhibet remissionem peccatorum, ita ut non sit in potestate ejus velle dare, & actu dare potestatem Ordinis, conferre gratiam sanctificantem, exhibere remissionem peccatorum, nisi velit conficere, & de facto conficiat Sacramentum, id est, nisi mediante Sacramento.

Jam autem contrahens Matrimonium vir vel mulier, tanquam causà principalis dat alteri potestatem supra corpus suum independentem, quantum est de se, à ratione Sacramenti; quamquam & illam post Christi institutionem, ut causà ministerialis contractui annectat, non per voluntatem præcisam contrahendi, sed per voluntatem conficiendi Sacramentum, quæ ordinariè quidem inter fideles censentur & sunt una & eadem; puta, quia voluntas Sacramenti implicitè includitur in voluntate contractus. Interim nihil obstat, quò minùs una in re sit distincta ab alia, imò & separata, sic planè ut valeat contractus & non Sacramentum, ut uberius dicam in materia de Matrimonio. Et hæcenus quidem pro opinione communi, & magis accommodata sensui fidelium.

Equidem sustineri potest (ait quidam Neotericus Auctor) oppositum, dicendo intentionem ministri esse partem essentialem Sacramenti consistentis in actione; non tamen partem condistinctam, sed in ipsa actione computatam, etiam à Concilijs: quæ dum ablutionem v. g. dicunt esse materiam Baptismi, loquuntur utique de ablutione libera, & quidem certæ speciei moralis. Unde sicut intentio non tantùm dandi aliquod signum consensus, sed etiam contrahendi seque obligandi censetur de intrinseca essentia contractus; & sicut intentio votendi, orandi &c. censetur de intrinseca essentia voti, orationis &c. sic Sacramentum quod est actio quædam libera ac certæ speciei moralis, includit in se intentionem agentis illam, non tantùm actionis externæ ut sic, sed etiam actionis ut talis. Ita ille; sed non multò solidiùs Cardinale.

Nam, ut omittam Concilia plerumque non agere de materià proximà, ablutione, unctio, &c. sed remota; aqua videlicet, oleo &c. ex nullo capite constat, sed est mera conjectura, Concilia (si quæ sint & dicant ablutionem esse materiam Baptismi) loqui de ablutione libera certæ speciei moralis, & non magis de ablutione simpliciter voluntarià, capaci significationis Sacramentalis per respectum extrinsecum ad personam abluentem, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.

Sanè si in ipsa actione computatur intentio; Cur putas Florentinum præter res & verba, expressè enumerat personam ministri cum intentione? An quia per res intellexit solam materiam remotam? Sextum (inquit) Sacramentum est Ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem con-

Et ostenditur disparitas inter intentionem conferendi Ordines, & intentionem matrimonij.

20. Non multò Cardinale solidiùs quidam iustitiam posse asserit, intentionem ministri esse partem essentialem in ipsa actione computatam, etiam à Concilijs.

Mera conjectura est, Concilia loqui de ablutione libera certæ speciei moralis.

Confutatus ex Florentino.

Ne obstat Christum ad assumptis, nisi actiones & verba voluntaria.

19. Respondetur ad primam confirmationem Cardinalis.

fertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino & patena cum pane porrectio-
nem. Ecce materia proxima & actio Sacramentalis, porrectio scilicet calicis. Et verba quid aliud sunt, quam prolatio verborum? Vel ergo ex mente Pontificis intentio est pars essentialis condistincta, vel simpliciter non est pars essentialis, sed conditio dumtaxat sine qua non ablutio & prolatio verborum actu componunt Sacramentum Baptismi.

Ad simile de contractu patet respon-
sio ex dictis contra Em. Et eadem est ratio de Oratione, quæ à D. Damasceno lib. 3. de Fide orthodoxa cap. 24. definitur: *Petitio decentium à Deo*; & ab Augustino ser. 23. de tempore vocatur *Desiderium invisibilem*; & lib. de Spiritu & littera cap. 50. describitur: *Conversio mentis in Deum per pium & humilem affectum*. Unde apud Scotistas dicitur & est formaliter actus voluntatis. Sic planè, ut licet oratio vocalis secundum physicum suum esse importet tantummodò physicas illas voces, quibus de per se significatur desiderium aliquid habendi; totum tamen esse morale vim & efficaciam accipiat à desiderio interno, quod per se solum propriissimè & principalissimè (ut sic loquar) vocatur à tota Ecclesia oratio.

Rogo sedulum Lectorem non perfunctoriè & subsultim legere definitionem Sacramenti; sed oppidò pensitare ejus naturam, si fortè simile aliquid in eo reperiat, quia plùs vident oculi quàm oculus, ut commune habet proverbium. Interea opus inchoatum prosequor & absolvo.

21. Conatur prædictus Auctor infringere probationes supra allegatas pro sententia communi: & ad primam quidem respondet, Concilia non agere de hæc parte, sed potiùs de ipsis externis symbolis; & præsertim de materia remota. Sicut etiam ipsa institutio Christi est de essentia Sacramenti, utpote signi ex instituto, & tamen non solet recenseri inter partes: satis enim subintelligitur in ipsa materia & forma, quæ utique sunt partes, tum quatenus à Christo instituta; tum quatenus certà intentione adhibentur.

Concilia agunt de intentione tanquam de re aliqua distincta à materia & forma, necio quomodò aliquis, qui Concilia legit, possit ignorare. Institutionem quoque non tacuit Concilium Trident. quando can. 1. de Sacramentis in genere sess. 7. definit, omnia Sacramenta novæ legis à Jesu Christo Domino

nostro fuisse instituta. Florentinum verò non recensuit eam inter partes; quia non est pars, sed totum; quandoquidem in omnibus partibus subintelligatur, idque necessariò & essentialiter, non tantum in actu secundo, id est, in actuali ministerio Sacramentorum, sed etiam in actu primo. Impossibile quippe est esse vel concipere Sacramentum, nisi sit & concipiatur institutio divina; potuisset autem esse Sacramentum, si Christo ita placuisset, & de facto optimè intelligitur absque eo quòd vel sit vel concipiatur intentio faciendi, quod facit Ecclesia, quæ solum requiritur in actuali exercitio secundum præsentem Dei voluntatem. Ecce quàm verissimè dictum sit: *Omnis similitudo claudicat*. Et iterum: *Nulla similitudo currit quatuor pedibus*. Certè præsens vix uno currit, si tamen uno pede currere possit.

Ad secundam probationem inquit: Aliud est de intentione suscipientis, quæ solum requiritur ex parte passi, tanquam conditio sine qua non est capax Sacramenti, si sit adustus. In parvulis etiam non requiritur, in quibus tamen Sacramentum habet easdem partes. Nec influere debet in Sacramentalem actionem, uti intentio ministri.

Sed quare non similiter dixit, intentionem Ministri esse conditionem sine qua non Minister est potens conferre Sacramentum? Inluit quidem in actionem Sacramentalem: sed quid tum? Etiam voluntas influit, quæ tamen propterea non ponitur pars intrinseca Sacramenti. Quòd autem in parvulis non requiratur intentio, solum arguit intentionem Ministri esse conditionem generaliore.

Ad tertiam respondet, objectum intentionis esse Sacramentum, id est, signa externa sibi condistincta: sicut Christus dicitur instituisse Sacramenta, & tamen ipsa institutio est de essentia Sacramentorum: & sicut dicitur quis velle orare, & tamen voluntas orandi est de essentia orationis. Idem est de intentione contrahendi.

Hæc responsio corrui intellectis terminis. Instituire ergo Sacramentum, est signis illis externis, rebus videlicet & verbis annectere significationem efficacem gratiæ sanctificantis, ita sanè quòd institutio, in quantum est essentia Sacramenti, non sit aliud quàm vis efficaciter significandi gratiam. Intendere autem Sacramentum, est velle applicare res & verba, quæ à Christo acceperunt vim significandi & conferendi gratiam, id est, quæ

S. Damasceni.

S. Aug.

22.

Licet intentio influit in actionem Sacramentalem; non idcirco ponenda pars intrinseca Sacramenti.

23.

Licet Institutio sit de essentia Sacramentorum, non tamen intentionis.

quæ à Christo sunt institutum Sacramentum, quod propriè & essentialiter definitur: signum sensibile practicum gratiæ; adeoque objectum intentionis est Sacramentum secundum totam suam essentialitatem. Alia est ratio orationis & contractus, quarum definitionem essentialem necessariò ingreditur actus aliquis voluntatis. Pro quo

Definitio essentialis orationis & contractus necessariò ingreditur actus aliquis voluntatis.

Nota ad orationem & contractum duplicem posse concurrere actum voluntatis, unum, qui imperet; alterum, qui imperio pareat. Primus non est de essentia orationis, sed applicat solum voluntatem, ut vel ore final & corde, aut solo corde medio alio actu à Deo decentia postulet. Similiter actus imperans contractum neutiquam est de ejus essentia, sed alius, quo ex imperio prioris volo me actu obligare, & signo externo illam obligationem alteri significare. Porro intentio conficiendi Sacramentum majorem habet rationem imperij, quam executionis; per illam enim imperat voluntas potentij exterioribus, ut exhibeant illas res & verba, quibus Deus annectere voluit significationem & efficaciam gratiæ.

Actus imperans voluntatis non est de essentia orationis vel contractus.

Quarta probationis negat consequentiam: nam Florentinum dicit: *Causa efficiens Matrimonij regulariter est mutus consensus &c.* & tamen quis dubitat quin sit de essentia Matrimonij? Intentio efficit, id est, facit, ut signa externa sint Sacramentum. Dicitur causa efficiens Sacramenti, quia causat, quasi imperando signa externa, in quibus maximè relucet proprietates Sacramenti.

24. Cir.

Meliùs dixisset, tota essentia: nam (ut statim dixi) Sacramentum essentialiter definitur ab omnibus: signum sensibile practicum gratiæ; quam praxim non habet illud signum ex intentione Ministri, sed institutione divina. Et sanè actus imperans non est de essentia actus imperati. Neque intentio facit ut signa externa sint Sacramentum, aliter, quam persona Ministri, cujus est signa illa exhibere cum tali intentione; ita quòd Sacramentum non sint, si vel ab alia persona, vel cum alia intentione exhibeantur. Sicut ergo, eo non obstante, persona non est causa materialis vel formalis intrinseca, sed efficiens extrinseca, sic nihil cogit asserere intentionem esse causam intrinsecam.

Objectio ex Florentino solvitur.

Ad Florentinum dico, Pontificem ibi non assignare causam efficientem Sacramenti Matrimonij, sed simpliciter Matrimonij, quod propriè significat vinculum resultans ex contractu Matrimonij;

sive Matrimonium in facto esse, non in fieri. Et verò quomodò mutus consensus signo externo expressus esset causa efficiens Sacramenti, cum sit ipsum totum Sacramentum & ipsissimum signum sensibile, quod Christus elevavit ad dignitatem Sacramenti? Igitur propriè causa efficiens Sacramenti Matrimonij sunt ipsi contrahentes, qui cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, ponunt signum externum, id est, verba de presenti cum consensu interno correspondente, cui ex promissione divina annectitur gratia sanctificans.

Restant absurda (inquit prædictus Auctor) quæ videntur sequi ex sententia Lugonis; sed illa ex parte deglutit Em. (timeo, ut calor naturalis (ratio inquam) sufficiat ad digerendum. Quæ verò utilitas ex cibo non digesto?) & à nobis negantur; quia sunt tantum præsuppositivè necessaria, non partes; sicut creator est necessarius, ut sit creatura, & tamen non est pars illius. Aliud est de intentione conficiendi Sacramentum, ut ex præmissis constat.

Imò verò ex præmissis constat, sed idem, non aliud; videlicet, intentionem Ministri neutiquam intrare ad componendum intrinsecè Sacramentum; at conditionem esse necessariò concomitantem personam Ministri in actuali Sacramenti ministerio, & ideo potiùs intrinsecam Ministro quàm tali, quàm ipsi Sacramento.

Ceterum si cuipiam magis placeat nova opinio Lugonis, per me licet; propter ipsius sentire nihil mutabitur in re; pro cujus ulteriori explicatione, dico:

CONCLUSIO II.

Res & verba in Sacramentis intelliguntur determinata ex institutione Christi, quàmvis non æqualiter in omnibus. Verba item non concionatoria dumtaxat, sed consecratoria.

Prima pars constat ex dictis sect. 2. conclus. 2. ubi ostendimus Christum immediatè instituisse omnia Sacramenta, quæ non sunt aliud, quàm res & verba; ergo & illa oportuit Christum determi-

25. Christus immediatè constituit omnia Sacramenta adeoque determinavit dare. verba & res.

Joan. 9.

Matth. ult.

Luc. 22.

Joan. 20.

Non deter-
minat in
omnibus
Sacramen-
tis equali-
ter.

Difficultas
motu circa
Sacramen-
tum Ordinis
ob diver-
sitatem
Latinorum
& Græcorum,
solvitur.

26.
Verba es-
sentialia Sa-
cramen-
tum sunt
consecrato-
ria.

Calvini.

nare. Determinavit autem materiam Baptismi Joannis 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c. Formam Matth. ultimo, v. 19. Baptizantes eos in nomine Patris &c. Ad Eucharistiam voluit adhiberi panem & vinum, & illa verba: Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus &c. dum præcepit Apostolis eodem ritu conficere, quo ipsemet confecerat: Hoc facite in meam commemorationem, Luc. 22. v. 19. Materiam & formam Pœnitentiæ tradidit Joannis 20. v. 23. Quorum remissionis peccata, remittuntur eis &c. Quod idem credendum est de alijs Sacramentis ex perpetua Ecclesiæ traditione.

Quod verò non in omnibus æqualiter (ut haec secunda conclusionis pars) probatur; quia in Baptismo & Extrema Unctione est determinata materia secundum speciem infimam; videlicet aqua naturalis, & oleum olivarum. In Eucharistia secundum speciem subalternam, panis scilicet triticeus & vinum, supposito quòd sint plures species tritici & vini. Similiter materia Pœnitentiæ ponitur contritio & attritio; peccatum mortale & veniale. In Matrimonio contractus legitimus matrimonialis, idem secundum esse physicum manens, mutatis solum legibus Ecclesiæ, & ipse mutatur. Pari ratione materia Confirmationis multiplex est specie propter consecrationem, quam communior sententia affirmat essentialem, ut videbimus agentes de illo Sacramento.

Circa Sacramento Ordinis movetur difficultas ob diversitatem Latinorum & Græcorum; siquidem hi adhibent solum manuum impositionem, illi insuper traditionem instrumentorum. Sufficiat Christum pro materia determinasse signum visibile & reale representans gradum conferendum, pro forma ejusdem rei signum vocale; determinationem verò in individuo reliquisse Ecclesiæ. Cætera, quæ ab aliquibus fusiùs pertractantur, commodiùs explicabimus in propria disputatione de hoc Sacramento. Pergo ad tertiam partem conclusionis, pro qua

Noto illa verba esse consecratoria, quæ habent peculiarem efficaciam ad consecrandam materiam & causandum effectum Sacramentalem. Hujusmodi esse verba essentialia Sacramentorum, quibus utitur Ecclesia Catholica, clamant Scriptura, Traditio, Patres & Concilia: soli proinde negant, qui his (omnia suo proprio ingenio metientes) fidem non adhibent, id est, hæretici docentes nullam in papatu

legitimam esse signorum observationem: nam verbum quidem per se habere iactant, sed quòd sit incantationis vice, quia illud lingua incognita demurmurant, & ita, quasi de mortuo elemento potius, quàm hominibus destinatum foret: nulla mysterij explicatio ad populum, quæ sola facit ut mortuum elementum, incipiat esse Sacramentum. Ita Calvinus in commentario cap. 5. ad Ephes. explicans illud v. 26. Mundans eam lavabo aqua in verbo vite.

Et clariùs Beza in libro, quem inscripsit: Summa doctrinæ de re Sacramentaria, ibi: Quæ est causa formalis Sacramentorum? ordinatio Dei in ipsius verbo comprehensa, & ab ipsius ministro explicata secundum eius mandatum: non autem pronuntiatio ipsa illorum verborum, neque ulla vis in vocabulo latens. Ergo verbum Sacramentale secundum illos A catholicos non est aliud, quàm concio, sive (ut ait Calvinus lib. 4. instit. cap. 14. §. 4.) Quod prædicatum intelligere nos faciat, quid visibile signum sibi velit. Vide Bellar. lib. 1. de Sacramentis in genere. cap. 19. & 20.

Et quidem si hæretici velint (prout velle videntur jam citati) verba concionatoria necessaria esse ad valorem, jam ferè non iscum conveniunt; nam vel concio ista habet infallibilem effectum, vel non: si primùm, jam verissimè est consecratio, cum reverà consecret v. g. panem seu species panis, & ex materia profana reddat illam sacratam. Si non, ad quid ergo essentialiter requiruntur? Respondent, ad instructionem audientium.

Contra: Quid si nullus adsit, nisi infans, qui v. g. baptizatur, & incapax est instructionis? num propterea talis Baptismus erit invalidus? Quomodò ergo negat Calvinus lib. 4. instit. cap. 15. §. 16. rebaptizandos esse eos, qui apud papistas fuerunt baptizati? nam eorum (inquit) Baptismus est validus.

Quòd si contendant verba Sacramentalia debere dirigi ad alios, saltem in actu primo. Respondeo etiam verba consecratoria sive ritualia, quæ nos vocamus, ad homines dirigi, si non actu, saltem potentia; quippe proferri debent humano modo, per se loquendo, ita ut audiri & intelligi possint; & ideo debent esse idiomatis publici & humani, quia sunt verba in ordine ad homines, ut patet ex forma Baptismi, Pœnitentiæ, Matrimonij, Ordinis &c. Loquimur ergo per illa verba alijs, qui adsunt vel adesse possunt, ut sanctificetur materia; atque adeò et si proferrentur, etiam animo concionandi & in-

Beza.

Bellar.

Dilemmate
premutur
hæretici.

Et ipsorum
Responsio
eluditur.

& instruendi plebem, non vitiaretur valor Sacramenti; dummodò tamen adsit simul intentio efficax faciendi, quod facit Ecclesia.

Alij ergo sectarij requirunt verba concionatoria solum, ut ritè & debitè Sacramentum ministraretur. Contrarium conyincitur ex Traditione Ecclesiæ, quam exprimit Concilium Florentinum assignans singulis Sacramentis formam essentialem verborum, ut videbimus agentes de ipsis in particulari.

Accedit, quòd in Scriptura nullum extet præceptum concionandi in Sacramentorum administratione; nec verba illa appellantur concionatoria, sed consecratoria, 1. Cor. 10. v. 16. *Calix benedictionis cui benedicimus* (hoc est, quem consecramus) *nonne communicatio sanguinis Christi est?* Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 13. *Noster panis & calix certà consecratione mysticus sit nobis*. Simili modo loquuntur alij Sancti Patres, quos vide apud Bellar. supra.

Profecò verba Christi: *Ego te baptizo* &c. etiam ab hæreticis adhiberi solita in Baptismo, formam habent benedictionis seu invocationis, non autem concionis seu instructionis; non enim dixit: *Docete omnes gentes nomen Patris & Filij & Spiritus Sancti*, sed, *baptizantes eos in nomine Patris &c.* quod sonat invocationem numinis super asperisionem aquæ: quemadmodùm *ly in nomine*, passim in Scriptura sonat invocationem, aut etiam auctoritatem & virtutem, minime instructionem; ut Marc ultimo v. 17. *In nomine meo demonia eijcient*. Matth 7. vers. 22. *Nomine in nomine tuo demonia eiecimus?* Actuum 3. versu 6. *In nomine Iesu Christi surge & ambula*.

Objicitur primò ex Scriptura Matth. ultimo v. 19. *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*. Respondeo adultos præviè esse instruendos in fide Catholica exemplo Philippi Act. 8. v. 35. & sequentibus, qui aperiens os suum evangelizavit Eunucho Jesum. Et dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam: & ait Eunuclus: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* dixit autem Philippus: *si credis ex toto corde, licet*. Et respondens, ait: *Credo, Filium Dei esse Iesum Christum*. Et insit stare currum: & descendunt uterque in aquam Philippus & Eunuclus, & baptizavit eum; utique in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Non ergo docuit per formam Baptismi,

sed per prævias catechizationes instruxit in præcipuis fidei mysterijs, ut debitè Baptismum susciperet: quod etiam hodie servat Ecclesia Romana. Ordo (inquit D. Hieron. in locum Matth. citatum) *præcipuus: insit Apostolis, ut primum docerent omnes gentes, deinde fidei intingerent Sacramento, & post fidem ac Baptisma, quæ essent observanda præciperent*.

Alioquin quòd non requiratur tunc instructio, quando confertur Baptismus, liquet ex verbis sequentibus: *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*. Quis autem dicat ad licitum & validum Baptismum requiri, ut statim à Baptismo instituatür concio de omnibus præceptis & eorum explicatione? Doctrina ergo, quæ ibi ante & post exigitur, intelligitur pro tempore opportuno.

Objicitur secundò ex Patribus, præcipuè D. August. tract. 80. in Joannem, ibi: *Vnde ista tanta virtus aquæ (baptismalis) ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur, sed quia creditur: nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens; hoc est verbum fidei, quod prædicamus, ait Apostolus: quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris &c.* Ergo secundùm D. Aug. verbum Baptismi abluat cor, quia creditur; adeoque in quantum instruit & inducit suscipientem ad credendum.

Hic locus præpter suam obscuritatem varias habet interpretationes apud Doctores: sed certum est non posse intelligi, quòd D. Aug. requirat fidem specialem hæreticorum, ad quam excitandam exigunt verba concionatoria; ut ablutio sanctificet, quippe expressè loquitur de fide, quæ creditur; *quia Dominus est Iesus &c.* non autem quæ quis credit remissa sibi esse peccata, & iustitiam Christi sibi imputari.

Deinde docet infantes mundari sine fide propria, ibi: *Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad iustitiam, & ore consistere ad salutem*. Manifestè quoque tribuit aquæ vim abluendi cor, quamvis non soli, sed si verbum fidei accedat.

Est autem incertum & controversum apud Catholicos, quid Aug. ibi intelligat per *verbum fidei*: multi enim volunt intelligi verbum rituale seu consecratorium, hoc est, formam Baptismi, quæ ut valida sit, debet continere expressam invocationem

S. Hieron.

Confirmatur.

29. Objectionis secundæ ex D. Augusti no solutio.

Non potest intelligi Augustinus de fide specialiter hæreticorum.

Incertum apud Catholicos quid Augustinus intendat per verbum fidei.

27. Non regulantur verba concionatoria, ut ritè & debitè Sacramentum administretur.

1. Cor. 10.

S. August.

Marc. ultim.

Matth. 7.

Act. 3.

28.

Solutio objectionis ex Scriptura: Docete omnes gentes &c.

Act. 8.

tionem Sanctissimæ Trinitatis, quæ cum sit præcipuum mysterium fidei, ideo forma illa vocatur *verbum fidei*. Volunt etiam August. nomine *fidei*, intellexisse intentionem & fidem ministri; quia nisi credat minister se posse Sacramentum conferre, atque adeo nisi intendat conferre; sola verba sacramentalia materialiter prolata, sicut possent proferri ab homine phrenetico, nullam habebunt efficaciam.

Alij (præsertim hæretici) per verbum fidei contendunt intelligi debere verbum doctrinale seu prædicationis tantum, non autem ceremoniale; & ita *verbum fidei*, id est, quod fide creditur; adeoque non *verbum fidei*, id est, verbum quod continet præcipuum objectum fidei, scilicet mysterium Trinitatis, sumendo fidem metonymicè pro objecto fidei. Porro quòd hoc postremo modo sumi non possit, probant; quia Aug. ibi quædam subjicit, quæ non possunt intelligi nisi de actu fidei. Deinde non videtur conforme menti Aug. quòd illud, *non quia dicitur, sed quia creditur*, habeat hunc sensum: non quia nudè profertur, sed cum intentione conferendi Sacramentum; siquidem Aug. explicans quomodò infantes etiam mundentur propter verbum fidei in Baptismo, licet non credant, docet id fieri ob fidem Ecclesiæ. Vide supra sect. præced. conclus. 5. & tamen certum est fidem Ecclesiæ non posse sumi pro intentione Ecclesiæ; illa enim est impertinens ad Baptismum parvuli: ergo etiam illud *creditur*, debet intelligi de actu credendi, non de intentione ministri.

30.
Per verbum
fidei non po-
test intelligi
verbum tan-
tum prædi-
cationis.

Hæc tamen interpretatio videtur minus probabilis quàm prior; etenim clarum est ex textu, per *verbum fidei* non posse intelligi verbum tantummodò prædicationis. Nam imprimis docet August. verbum illud accedere ad elementum, & fieri Sacramentum. *Detrahe (inquit) verbum; & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; prædicationis autem non accedit, sed præcedit. Sic non rectè dicitur: *Accedit confessio peccatorum ad absolutionem, & fit Sacramentum*. Secundò, dicit illud verbum esse consecrationem, ibi: *Hoc est verbum fidei quod prædicamus, quo sine dubio ut mundare possit, consecratur & Baptismus*.

Ut ex ipso
Augustino
colligatur.

Denique asserit verbum istud mundare infantes (ut statim vidimus) quæ omnia non conveniunt verbo doctrinali (quod non dirigitur ad elementum, sed ad populum; & cujus infantes incapaces sunt) quemadmodum nec illud, quod habet lib. 3. contra Donatistas cap. 15. *Quamobrem si*

Euangelicis verbis in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti, Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum. Et lib. 6. contra Donatistas cap. 25. *Cetera illa Evangelica verba, sine quibus non potest Baptismus consecrari, tantum valent, ut per illa sic evacuentur quæcumque in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum demonum Christi nomine excluditur*. Et infra: *Deus adest verbis Evangelicis suis, sine quibus Baptismus Christi consecrari non potest*. Quid clarius dicere potuit pro veritate Catholica?

Ex his ergo concludo per fidei verbum neque intelligi solum verbum rituale, neque solum doctrinale; sed Augustinum modò unum, modò alterum intelligere: explicat enim ibi Aug. locum illum Joannis 15. v. 3. *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis* (nec enim ibi agit ex professo de Baptismo) & docet quomodò homines justificentur per verbum Christi seu fidei, & adfert exempla tam de verbo doctrinali, quàm rituali; & ostendit utrumque justificare, si credatur; doctrinale scilicet inchoativè, rituale verò etiam completivè, si tamen credatur mysterium fidei seu Trinitatis, quod in forma Baptismi explicitè continetur; agit quippe de adultis.

Per fidei ver-
bum Augu-
stinus modò
rituale, mo-
dò doctrina-
le intelligit.

In forma ergo ad verba Aug. supra objecta Respondeo, Doctorem Sanctum solum velle in adultis prærequiri fidem, ut per Baptismum cor eorum specialiter abluatur: unde ibidem expressè docet infantes mundari per Baptismum, quàmvis nondum (ut inquit) *valentes corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem*. Quod est notandum contra Lutheranos, qui somniant infantes tunc uti ratione & credere.

Et licet mundationem infantum referre videatur in fidem Ecclesiæ; tamen id commodè intelligendum est, ut scilicet fides Ecclesiæ sit conditio sine qua Christus Baptismo tantam efficaciam non dedisset: siquidem pro Ecclesia sua (ea autem sine vera fide non potest esse ejus Ecclesia) Baptismum & alia Sacramenta Christus instituit; quàmvis etiam apud hæreticos & iniquè usurpantes validè conferantur, ut sæpius tradit Aug. contra Donatistas. Vide etiam Epistolam 23. ad Bonifacium, ubi ostendit neque requiri veram fidem ministrum, neque suscipientis ad valorem Baptismi.

Tertiò objici potest D. Hieronymus, qui verba illa Apostoli ad Ephes. 5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vite*, intelligit de verbo doctrinæ. At ipse Hieron.

31.
Solutio ob-
jectionis ex
D. Hierony-
mo.
s. Hieron.

Hieron. fatetur se non explicare in sensu literali de Baptismo, sed tropologicè de mundatione, quæ fit in singulis hominibus per vocationem & prædicationem, quibus ad penitentiam excitantur & convertuntur.

Objiciunt hæretici quartò ex ratione: Magicum est verbis tribuere vim & efficaciam cauſandi aliquem effectum. Respondeo, quem non constat illa habere, nisi à diabolo per illa sive cum illis operante; alioquin & ipsi hæretici magi sunt, qui ad valorem Baptismi requirunt certam verborum formam, & omnes jurisconsulti, qui stipulationis, utique certæ verborum formæ, tribuunt effectum obligationis in foro exteriori. Porro constat ex Scriptura, Patribus, Traditione & Concilij, verba sacramentalia à Deo accepisse vim efficiendi gratiam, ut sectione sequenti luce clariùs ostendemus.

Impresentialium, quia sola verba non habent efficaciam, sed ita si accedant ad elementum (ut loquitur August. supra) dubium superest, an requiratur physica coexistentia materiæ & formæ, sive elementi & verbi; an verò sufficiat moralis? Solutio erit

CONCLUSIO III.

Ad valorem Sacramenti requiritur coexistentia materiæ & formæ, in Eucharistiâ physica, in reliquis sufficit moralis.

Quòd aliqua coexistentia materiæ & formæ sit necessaria, non obscurè colligitur ex dicto D. Aug. supra conclusione præcedenti: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; verbum quippe *accedendi* aliquam conjunctionem importat; non est autem conjunctio, nisi sit coexistentia. Et sanè absque illa nequit intelligi qualiter unum aliquod compositum, etiam improprie dictum constituant, aut quomodo forma materiam determinet.

Ceterùm quia Sacramentum non est proprie dictum compositum, vel potius quia solum est compositum morale, hinc non requiritur proprie dicta unio inter partes, per consequens neque physica earum coexistentia, sed sufficit moralis, nisi forma signifi et materiam tanquam rem permanentem loco & tempore ministro presentem, quemadmodum verba Eucharistica,

quæ non significant actum aliquem successivum exercendum à Sacerdote, sed individuum determinatum entis physice presentis proferenti, practice quidem pro ultimo instanti prolationis, speculative verò juxta primævam vocum institutionem pro aliquo instanti prolationis copulæ, de quò plura in propria disputatione.

Porro in Sacramentis Pœnitentiæ & Matrimonij talem presentiam non requiri manifestum est; & eadem videtur ratio de alijs, præterquam quòd exigitur major propinquitas seu conjunctio in ijs, in quibus materia est actio ministri, quæ per verba formæ significatur ut presentis. Equidem prudentis iudicare est, an materia præcedens vel subsequens formam longo vel brevi intervallo, satis ab hac determinetur, sive an forma super materiam ut significatum cadere possit.

Enimverò non videtur Christus voluisse ministros suos in administratione Sacramentorum, quæ pro conditione hominum in materia facili & obvia instituit, quò faciliùs per ipsa pervenire possint ad salutem, & quorum ministerium voluit esse visibile & perceptibile; non videtur (inquam) voluisse obligare ad rigorem mathematicum, qui nequit sub sensum aut prudentiam cadere. Afferamus itaque moralem propinquitatem, qualis intervenire solet inter actiones humanas, majorem vel minorem pro earum diversitate.

Hinc quia Pœnitentia est sententia judicialis, Matrimonium contractus humanus, ordo parium sufficiens ad constituendum unum actum extra sacramentalem, quod fieri potest eum magna temporis distantia; etiam sufficit pro unitate actus sacramentalis.

Contrarium hujus conclusionis qui tam attribuit Scoto 4. dist. 6. q. 3. n. 4. ubi de coexistentia materiæ & formæ in Sacramento Baptismi sic ait: *Dico ergo quòd talis simultas requiritur, qualis requiritur in actibus humanis. Noluit enim Christus nos obligare ad tam subtilem simultatem, quam vix posset homo percipere vel servare. Iudicatur autem simultas inter factum hominis & verbum: quando incipit unum antequàm totaliter finiat aliud; & hoc indifferenter, sive istud prius finierit quam aliud, vel e converso: v. g. si quis dicat illam orationem, facias hoc, & fricat barbam, sive incipiat actum suum ante prolationem, sive e converso, dum tamen unum non finiatur completè ante inceptionem alterius, dicitur: ille simul dixit hoc, & fecit hoc. Ita dico quòd sive Sacerdos prius immergat unà mersione, ubi moris terra est ter immergere, & postea*

32. Objectio ex ratione solvitur.

33. Aliqua coexistentia materiæ & formæ est necessaria. August.

Sufficit moralis;

Sed non ad Eucharistiâ.

34. Contrarium Conclusionis adscribitur Scoto;

postea incipiat verba cum secunda immersione; sive prius incipiat verba dicere, & dicto: ego te baptizo, immergat cum illis verbis sequentibus, est sufficiens simulitas: dum tamen prolatio non finiatur ante inceptionem abluitionis, nec abluio finiatur ante inceptionem prolationis, talis simulitas est sufficiens ad Baptismum. Hæc Scotus.

Qui quidem ponit modum secundum rigorem philosophicum, etiam salvandum de simulitate successivorum, quæ existunt per partes & non simul, & quæ magis est in praxi, quamque ex congruitate & reverentia minister debet observare; tamen eam non aserit de necessitate Sacramenti, quin etiam minor conjunctio sufficiat. Enimvero ratio ejus solum exigit propinquitatem humanam & moralem, per quam materia & forma ad idem referantur per modum unius signi. Ostendo:

Sed loco citato illud non addit;

Ut colligatur ex verbis ipsius.

Ad istam (inquit n. 2.) questionem patet, quod requiritur simulitas, & principalis ratio est institutio Christi instituentis hæc duo tanquam unum signum completum ad significandum effectum, ita quod neutrum esset signum sine alio. Unde concludit istum numerum hisce verbis: Nec ista simulitas ultimi instantis prolationis verborum & abluitionis est necessaria: nam Apostoli baptizantes tria millia uno die Act. 2. non semper cum ultima syllaba forma asperserunt, ita quod tunc aqua totigerit baptizatum.

Adde quod habet 4. dist. 3. q. 2. n. 11. ibi: De interpositione tamen esto quod non fit alicuius distrabentis vel repugnantis, est speciale hoc: quia si interrumpat unitatem debitam formæ, non manet forma. Quando autem talis unitas necessaria interrumpitur, iudicatur ex alijs actibus humanis. Quando enim ex communi loquela, ex interpositione impertinentis non iudicatur, quin possit prior sermo continuari; consimiliter nec debet in proposito iudicari, utpote si quis inciperet orationem, & diceret: tacete, vel: recedite, non propter hoc esset necessarium incipere orationem; sed non obstante tali interruptione posset eandem continuare & complere. Si hæc interruptio ex mente Doctoris Subtilis non officit unitati seu integritati formæ, quare officiet unitati seu conjunctioni materiæ cum forma?

Verumtamen quod non est de necessitate Sacramenti, quia minime à Christo institutum, Ecclesia potuit, & de facto suo præcepto fecit necessarium necessitate ministri, quando servari potest; & de hac (ut dixi) necessitate loquitur Scot. in primo loco, nequaquam de necessitate Sacramenti. Ad meliorem autem intellectum utriusque ponitur

CONCLUSIO IV.

Mutatio substantialis materiæ vel formæ reddit Sacramentum invalidum, secus accidentalis. Illa semper est mortalis, hæc frequenter.

Pro explicatione suppono primò mutationem substantialem optimè desumi per ordinem ad institutionem Christi; accidentalem autem per respectum ad usum vel ritum communem nostræ Ecclesiæ. Ostendo: quia tota substantia Sacramentorum à Christo instituta est (ut patet ex secunda conclusione hujus sectionis) sic quod Ecclesia nunquam in illa quidquam mutaverit, nec possit. Porro accidentalia, sicut Ecclesia ordinavit, ita mutare potest, & quandoque mutat, prout docet Trident. sessione 21. cap. 2. ibi: Præterea declarat hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva eorum substantiâ, ea statueret vel mutaret, qua suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate, magis expedire iudicaret.

35.
Mutatio Sacramentorum essentialis delimitur in ordine ad institutionem Christi. Accidentalibus per respectum ad usum vel ritum Ecclesiæ.

Trident.

Si objicias, Matrimonium clandestinum, antiquitus solum prohibitum, novâ nunc lege Tridentini irritatum. Respondeo essentialiam Matrimonij jam esse eandem, quæ antea fuit, scilicet legitimum consensum signo externo expressum, quo traditur jus perpetuum in mutua corpora ad usum conjugalem. Sicut autem respublica civilis reddit illegitimum contractum pupilli ad transferendum dominium bonorum immobilium & mobilium pretiosorum, quæ servando servari possunt (ut loquuntur Jurisconsulti) sine auctoritate tutoris; sic etiam respublica Ecclesiastica contractum clandestinum invalidat, seu reddit illegitimum ad transferendum dominium corporum.

36.
Non obstat irritatio Matrimonij clandestini.

Etenim per hoc quod Christus illum elevaverit ad rationem Sacramenti, non subtraxit dispositioni Ecclesiæ in illis, in quibus antea eidem subijciebatur. Sic etiam communitas hominum posset facere quod hæc verba: Hoc est corpus meum, non essent amplius legitima forma Eucharistiæ, instituendo ly corpus, ad significandum lapidem, & e converso; neque propterea formam

mam mutassent formaliter, sed materialiter tantum; quippe Christus ordinavit verba, quæ habent talem sensum, quem tamen reliquit beneplacito hominum, ut per hæc vel illa verba importaretur; & ita quamvis ex institutione humanâ verba Sacramentalia accipiant quoddam significent gratiam, non tamen quoddam causent, sive quoddam gratia sit infallibiliter præsens, sicut per ea significatur. Pari modo in potestate cuiuslibet est facere ut hæc aqua non sit amplius materia Baptismi, destruendo scilicet eius naturalitatem.

Maneat ergo Ecclesiam non posse mutare substantiam Sacramenti, quemadmodum non potest eam instituere, cum illud huic æquivaleret.

Suppono secundò unitatem & varietatem materiæ non tam debere attendi secundum unitatem & varietatem physicam, quam bene humanam, id est, in ordine ad humanum usum, & ut significatur per nomen, quod huiusmodi nomen respicit; quia materiæ Sacramentorum designatæ sunt in aliquibus actibus humanis, vel in ordine ad illas. Exemplum vulgare est in pane, qui est materia Eucharistiæ; massa verò nondum cocta non est materia, sive differat à pane in specie substantiali physica, sive non; quia neque in nomine, neque in usu hominum censetur simpliciter panis.

Suppono tertio ex Scoto 4. dist. 3. q. 2 ubi agens de substantiali forma Baptismi n. 7. Advertendum (inquit) est, quod secundum Philosophum 1. phys. quadruplex est mutatio, scilicet secundum substantiam, qualitatem, quantitatem, & ubi sic secundum ista verba (Sacramentalia) potest fieri quadruplex variatio, scilicet secundum substantiam, alia verba ponendo pro istis vel alia verbum pro isto; secundum quantitatem apponendo vel subrahendo; & si apponendo vel anteponendo, vel postponendo, vel interponendo; secundum qualitatem scilicet auferendo aliquam requisitam terminationem ad congruam locutionem; secundum ubi transponendo.

Et verò quæ istarum variationum possit stare cum forma, & quæ non, explicat ibidem à numero 8. usque ad finem questionis, exemplificans in forma Baptismi. Dico paucis, tunc mutationem formæ esse essentialem, quando per additionem, subtractionem, incongruitatem vel transpositionem verborum variatur sive corrumpitur sensus à Christo intentus: sensus quippe est velut anima verborum.

Illo ergo perseverante integro & incorrupto, ac præsentente debita intentione, neque æquivocatio, neque additio, subtractio,

incongruitas aut transpositio, quocumque animo facta, invalidat Sacramentum, etiam dum verus sensus formæ à proficiente non intelligitur. Ratio est manifestæ: quia tunc nihil deest essentiali. Et hæc sit probatio secundæ partis conclusionis. Prima quoque non indiget aliâ ratione, quam quoddam res quælibet nequeat subsistere absque sua substantia seu essentia.

Sapè quoddam non requiratur cognitio veri sensus formæ in proficiente, vel hinc satis probatur; quia verba operantur in Sacramenti (ut colligitur ex D. Tho. inferius citando) quantum ad sensum, quem faciunt, non ex mente loquentis, sed iuxta prudentem aliorum æstimationem, quorum respectu habent rationem signi. Et ita si imperitus aliquis Sacerdos proficiens: *Hic est calix* &c. putaret *hic* sumi adverbialiter, id est, *hoc loco*, quis negaret propter hunc errorem verum Sacramentum? Sic enim omnes docent, Baptismum fore validum, etsi Arianus baptizans ipso ordine verborum vellet significare Patrem esse majorem.

Dices: Verba formæ debent esse vera locutio, quæ minister humano modo loquitur; loqui autem est manifestare sensum interna: si ergo in mente habeat conceptum solius præsentis localis per vocem *hic* significatæ, illa sola significabitur; adeoque non loquitur in vero sensu.

Confirmatur: quia ignoranter proficiens hæreses non censetur hæreticus externus; quia non significat eas moraliter & humano modo, licet audientes ita intelligent eorum locutionem.

Respondeo; ut minister dicatur loqui per illa verba, & exprimere verum sensum ab Ecclesia intentum, sufficit voluntas generalis, quæ vult per illa verba significare quod intendit Ecclesia; ita ut si sciret Ecclesiam usurpare vocem *hic* pronominaliter, etiam ipse mallet sic accipere, quam non consecrare. Certum enim est tunc errorem privatum & voluntatem specialem inde procedentem, utpote inefficacem, nullatenus posse impedire priorem voluntatem generalem ab effectu, quem haberet, si voluntas illa privata abesset.

Simile sit; Sacerdos qui in principio missæ habuit intentionem consecrandi parvam hostiam, quamvis in ipsa consecratione illius non recorderetur, & intentionem dirigat ad magnam tantum, adhuc validè consecrat utramque; quia ultima intentio non satis retractat priorem.

Respondet Dicastillo disp. 3. dub. 9. n. 195; disparitatem esse, quod pronomen

In proficiente non requiritur cognitio veri sensus.

38.

Ut minister exprimat verum sensum ab Ecclesia intentum, sufficit voluntas generalis per verba prolata significandi, quod intendit Ecclesia.

39.

Disparitas assignata à Dicastillo.

Unitas & varietas materiæ attendi debet secundum naturam & varietatem humanam.

37. Quadruplex mutatio formæ ex Scoto.

Quando per aliquid corrumpitur sensus à Christo intentus, est mutatio essentialis.

Alias non.

ne inter
profereñtē
in consecra-
tione ly hoc
adverbialiter,
& in-
tendentem
consecrare
parvam ho-
stiam, cuius
in consecra-
tionemagnā
hostiæ ob-
liviscitur.

hoc ita feratur ex parte loquentis in hostiam principalem, ut locutio de illa non excludat locutionem de alijs; quia si illarum meminisset, cum antea habuerit voluntatem expressam illas consecrandi, absque dubio ad illas simul dirigeret illud pronomen quod æquè primò omnes potest significare: at verò vox *hic* accepta pro signo adverbij localis non patitur secum significationem pronominis, sed repugnat potius in ordinario saltem & communi modo loquendi. Nemo enim simul & unicā prolatione usurpat vocem adverbialiter & pronominaliter: ergo voluntas posterior accipiendi adverbialiter, excludit priorem accipiendi pronominaliter, etsi fuisset expressa, magis si solùm fuerit implicita.

Confirma-
tio eisdem

Sic enim si quis priùs habuit intentionem offerendi Missam plenè & integrè pro uno, & postea immemor hujus habuit intentionem actu pro alio in tempore oblationis, eo ipso censetur intentio prior defuisse, nec moraliter perseverasse; constat enim hanc secundam existere, & cum utraque simul esse non possit, antiquam destrui necesse est. Ita hic Auctor, qui tamen ibidem admittit Sacramentum fore validum, si talis consecrans actu habeat vel habuerit voluntatem non retractatam; quòd si fortè Christus aut Ecclesia aliter esse accipiendam illam particulam doceat, velit in omni eventu in sensu tali illam vocem proferre.

Solvitur
primò.

Sed contra primò: hæc solùm videntur probare Sacramentum illud non subsistere defectu debitæ intentionis, non autem propter æquivocationem seu defectu formæ, de quo solùm tractamus in præsentem, infra acturi de intentione.

Scitur.

Et sanè eadem ratione quælibet variatio verborum potest invalidare Sacramentum, ut advertit Scot. 4. dist. 3. q. 2. n. 7. ibi: *Et de quacumque istarum variationum dico, quòd si varians intendit uti verbis, quibus utitur tanquam formâ Ecclesiæ, præcisè, non baptizari: quia deficit sibi intentio utendi verbis, quibus utitur, tanquam formâ Ecclesiæ: intendit enim uti illis verbis aliquo aliter variatis, tanquam formâ præcisâ Baptismi.* Hinc signanter dixi supra: *Et præsentem debitâ intentione, neque æquivocatio &c.*

Solvitur se-
cundò.

Secundò: esto deficiat hæc etiam forma, cum ab intentione, de qua agimus, videatur pendere, ut verba æquivoca sint vel non sint forma: non dubito, quin intentio generalis prævaleat particulari, nisi consecrans expressè vellet non consecrare in eventu, quo Ecclesia vel Christus aliter intelligat ly *hic*, quam ipse accipit.

Fundamentum sumo ex D. Tho. 3. par. te, q. 60. art. 7. ad primum; *Ad primum* (inquit) *dicendum, quòd sicut Aug. tractatu* 80. *in Joannem dicit, verbum operatur in Sacramentis, non quia dicitur, id est, non secundum exteriorem sonum vocis: sed quia creditur, id est, secundum sensum verborum, qui fide tenetur.* Et *hic quidem sensus est idem apud omnes.* Quasi diceret, ut supra exposui: verba operantur in Sacramentis quantum ad sensum, quem faciunt non ex mente loquentis, sed juxta prudentem aliorum estimationem: quilibet autem prudens judicat, non obstante particulari errore, & intentione consecrantis jam explicata, ly *hic* significare pronominaliter. Sicuti validè contrahitur Matrimonium ex errore divitiarum, nisi intentio expressè limitetur, quia prudentes communiter existimant voluntatem fuisse absolutam, sic postulante bono communi, ut proprio loco dicitur.

Confirma-
tur à simili.

Cum ergo ad validam consecrationem non requiratur notitia sensus verborum (certum quippe est multos rudes Sacerdotes non intelligere quid per singula verba significetur) videtur in ipsis sufficere intentio generalis significandi, quod Christus voluit significari; quamquam in particulari erent circa significationem alicujus verbi; talis siquidem error & voluntas consequens, quemadmodum in Matrimonio, ita etiam in præsentem non debet censeretur error practicus; sed solùm speculativus, qui non vitiat Sacramentum.

Ex quo patet responsio ad disparitatem & exemplum allatum à Dicaſtillone. Nam inprimis ly *hic* æquè primò potest accipi adverbialiter, atque pronominaliter; & acceptio adverbialis talis est, ut si falsitas ejus appareret, ex vi absolutæ voluntatis consecrandi destrueretur. Adde, quòd de facto non solùm significet sanguinem Christi realiter existentem, sed etiam localiter (ut sic dicam) præsentem Sacerdoti.

40.
Responde-
tur ad dif-
paritatem &
exemplum
Dicaſtillo-
nis.

Aliud esset, si Sacerdos sciens institutionem Christi, primò voluit accipere pronominaliter, & in actuali consecratione scienter intelligit adverbialiter. Et pari ratione admitto exemplum Dicaſtillonis.

Enimverò si error dedit causam secundæ applicationi, ita quòd absolute & simpliciter nolisset alteri applicare, si recordatus fuisset prioris applicationis; quidni hæc prævaleat? Quòd enim secundum testamentum sit validum, nisi prius contineat clausulam derogatoriam, sit favore ultimæ voluntatis; etenim cum testamentum sit actus solemnus, non præsumitur ignorantia

Sect. 3. De Mat. & forma Sacram. Concl. 4. 55

ignorantia prioris; non mirum ergo, si secundum post mortem testatoris censetur revocare primum, quando jam amplius testator nequit mentem suam indicare.

Alioquin certum est, de jure naturæ non semper voluntatem posteriorem destrueret priorem, ut patet in privilegio, quod ex communi sententia non irritatur per posteriorem impossibile; cap. Veniens de Præscriptionibus, ibi: *Non obstante privilegio Clementis Pape, per quod privilegia suorum prædecessorum non extitit derogatum, cum de ipsis nullam fecerit mentionem.*

Et ratio est: quia tunc præsumitur princeps secundum privilegium concessisse ex ignorantia primi, juxta cap. 1. de Constit. Licet Romanus Pontifex (qui iura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) constitutionem condendo posteriorem, priorem (quamvis de ipsa mentionem non faciat) revocare noscatur: quia tamen locorum specialium & personarum singularium consuetudines & statuta (cum sint facti & in facto consistant) potest probabiliter ignorare: ipsis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem à se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare.

Quidni igitur prima applicatio Sacrificij, tortè ex iustitia debita, prævaleat secundæ ex ignorantia provenienti? Deus siquidem, cujus est fructum Sacrificij concedere, scrutatur renes & corda hominum, ideoque optimè novit voluntatem efficacem ab inefficaci discernere.

Sed demus Dicastilloni quod petit, adhuc negatur consequentia; quippe in casu nostro prior voluntas est universalis & reflexiva super aliam; in ipsis autem simili utraque voluntas est particularis, sive jam illa voluntas universalis sit unica formaliter & duplex æquivalenter, sive duplex formaliter, de quo infra ubi de intentione ministrum.

Ad confirmationem objectionis principalis supra n. 38. Respondeo excusari à pœnis hæreticorum, qui scienter utitur verbis ambiguis coram illis, qui apprehendant sensum hæreticum, siquidem non habeat animum hæresim suam internam manifestandi; & è converso incurrere pœnas, si intendat hæresim internam manifestare, etsi alij eam non percipiant. Ratio est: quia ad hæreticum externum requiritur & sufficit, ut errorem internum verbis aut alijs signis culpabiliter explicet; ad quod impertinens est cognitio audientium aut videntium, ut latius traditur in tractatu de Virtutibus Theologicis.

Cæterum si quis uteretur verbis aut

alijs signis verè significantibus hæresim in communi eorum acceptione, putans ex privato errore aliud significare, existimo talem verè esse hæreticum externum, si intendit illis exprimere suum internum errorem, casu quo possit.

Ex his facile colligitur, quid dicendum sit de mutatione formæ (manente sensu verborum essentialium) animo inducendi aliquem errorem, de qua extat Decretalis responsio celebris Zachariæ Pape, quæ habetur in cap. Retulerunt 86. de Consecr. dist. 4. ubi scribens ad Bonifacium Episcopum sic dicit: *Retulerunt nuntij tui, quod fuerit in eadem provincia Sacerdos, qui latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret nesciens latini eloquij, infringens linguam diceret, baptizo te in nomine Patriæ, & Filia, & Spiritu Sancta. Ac per hoc tua reverenda Fraternalitas consideravit eos rebaptizare. Sed sanctissime frater, si ille, qui baptizavit non errorem introducens aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romana locutionis infringendo linguam (ut supra sati sumus) baptizans dixisset, non possumus consentire ut denuò baptizentur. Hæc Zacharias.* Ex quibus verbis aliqui à contrario sensu inferunt: ergo si habuit animum inducendi errorem, invalidè baptizavit.

Verùm Respondeo primò, argumentum à contrario sensu non semper concludere. Potuit ergo Pontifex velle declarare quod certum erat, videlicet hujusmodi variationem, & quamcumque similem absque animo inducendi errorem, non irritare Sacramentum; relinquendo nihilominus disputationi Doctorem casum magis dubium.

Pro quo assero, non semper talem animum formam essentialiter mutare. Ducor, quia cum tali animo stare potest intentio efficax faciendi, quod Christus instituit, quodcumque illud sit. Sic Græci utuntur hæc formæ: *Baptizetur servus Christi &c.* quia existimant formam Latinorum esse invalidam. In forma quoque consecrationis panis addunt: *Quod pro vobis tradetur*, tanquam verba essentialia; quemadmodum etiam multi consecrant in fermentato ad stabiliendum suum errorem. Imò inter Latinos aliqui docent illa verba: *Novi & æterni testamenti &c.* esse essentialia; & tamen nemo asserit illa Sacramenta propterea esse invalida, nisi tortè defectu debite intentionis, si videlicet nolint per illa verba conficere Sacramentum, nisi sint essentialia.

Confirmatur: quia etiam in alijs Sacramentis sæpe dubitatur, an hoc vel illud sit essentialiale,

Nō semper voluntas posterior destruit priorem.

Cap. Veniens de præscrip.

Ratio illius.

Cap. 1. de Constit.

In casu conclusionis voluntas est universalis & reflexiva super aliam.

Respondetur confirmationi objectionis principalis.

41.

Quid dicendum sit de mutatione formæ (manente sensu verborum essentialium) animo inducendi errorem. Zacharias Papa.

Respondeo prima ad objectionem ex Zachariæ Papa.

essentiale, & tamen quis audeat dicere privatim hunc errorem obesse eorum valori?

42.
Responso
secunda.

Hinc Respondeo secundò ad verba Pontificis, ipsum tantùm velle docere, quòd si per mutationem reddatur dubius sensus formæ, & simul minister sic intendat inducere novum ritum, ut intendat sensum falsum, variatio sit essentialis.

Proponuntur
varie
formæ.

Profectò in casu proposito, si ministrans voluit introducere hunc errorem, quòd scilicet in divinis non sit filius, sed filia; luculenter patet formam non valuisse, utpote cujus significatio pugnabat cum significatione formæ à Christo institutæ. Aliud est, si quis baptizet: *In nomine Patris omnipotentis, & Filij sapientis, & Spiritus Sancti paracliti*, quàmvis judicet illa prædicata non esse communia, sed propria. Similiter: *In nomine Filij, Patris & Spiritus Sancti*, volens errorem inducere, quòd Filius sit principium Patris; quia illi erroris communiter per ista verba non significantur, supposita semper debita intentione.

Idem sit judicium de hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti, & B. Virginis*, saltem quando proferens non vellet significare nisi Virginis intercessionem: sin autem etiam æqualitatem, nec sic video quare non valeret. Etenim æqualitas Virginis non repugnat æqualitati Patris, Filij & Spiritus Sancti. Et aliunde per illam formam vi verborum significatur unitas & Trinitas Personarum, minimè verò quaternitas, esto baptizans illam intenderet.

Eadem est ratio hujus: *Hoc est corpus meum*, quod pro vobis non tradetur: diversa istius; *Hoc est corpus meum æreum*. Nam (ut bene Scot. 4. dist. 3. q. 2. n. 11.) *Si anteponitur vel postponitur aliquid non repugnans, sit (Sacramentum) si aliter, non.* Porro æreum repugnat vero & reali corpori Christi; ad quod impertinens est, quòd sit traditum vel non traditum pro nobis. Similiter æqualitas Virginis non falsificat æqualitatem Patris, Filij & Spiritus Sancti.

Concludo verbis D. Aug. lib. 6. contra Donatistas cap. 25. *Verba, quibus Baptismus consecratur, tantum valent, ut per illa sic evacuentur quæcumq; in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur.* Intellige (ut dictum est) nisi destruant significationem formæ usitatæ. Dico (inquit Scot. supra) quòd si aliquid addatur repugnans verbis principalibus formæ, vel diminuens verba illa, nihil sit; quia non servatur forma; v.g. de primo si sic dicatur: *In nomine Patris majoris, & Filij*

minoris, &c. v. g. de secundo si præmittatur vel disjungatur, vel interponatur aliqua conditio, quæ non existat, utpote: Si ego sum omnipotens, ego te baptizo &c. Vel si sit aliqua oratio disjunctiva contra rationem formæ: quia disjunctiva non ponit determinatè alteram partem; & eodem modo de similibus.

Numero autem 12. notat, quòd dictum est de incongruitate, intelligendum esse, quando est talis incongruitas in fine dictionis, quæ non prohibet quin possit capi conceptus significatus per dictionem. Et quomodo hoc sit possibile, bene experiuntur aliqui audientes quosdam illiteratos, qui loquuntur incongruè: & tamen bene concipiunt quid volunt dicere, etiam quantum ad singula verba. Unde non valeret hæc forma Baptismi: *Ego te bap in noe Pri, & Eli, & Sprus Sti.* Enimverò illis breviturus non utimur in loquendo, sed scribendo: quocirca nullus prudens audiens aliquem sic loquentem, concipiet quid velit dicere, nisi fortè mediatè, si videret scripturam quam loquens legit. Porro forma Baptismi sunt verba non scripta, sed ore prolata, proximè & per se significativa sensus à Christo intenti. De transpositione verborum dicam agendo in particulari de forma Baptismi.

His suppositis, tertia & quarta pars conclusionis per se sunt manifestæ: constat enim apud omnes Theologos, mortaliter peccare contra Religionem, qui facit Sacramentum invalidum; quantum enim est in se, facit ut Deus significet falsum; sicuti qui jurat falsum, quàmvis non efficiat ut Deus reverà affirmet falsum, facit tamen de se ut id appareat. Sicut ergo juramentum falsum semper est peccatum mortale, quidni etiam Sacramentum invalidum semper sit peccatum mortale?

Et sicut juramentum verum subinde est peccatum veniale defectu iudicii aut iustitiæ; ita etiam Sacramentum validum potest esse aliquando veniale peccatum, si levis contingat variatio in his, quæ ab Ecclesia in consecutione aut administratione præcepta sunt. Alioquin cum virtus Religionis ex genere suo obliget ad mortale, & præcepta Ecclesiæ frequentius respiciant res majoris momenti; nec non per variationem, quam putamus accidentalem, sæpe Sacramentum exponatur periculo nullitatis; optime concluditur etiam hanc frequentem esse peccatum mortale.

Et hæcenus quidem de essentia Sacramentorum tum physica, tum quasi metaphysica. Transeo ad eorum causalitatem & multiplicem effectum, pro quibus dilucidè explicandis necessaria fuit

SECTIO

44.
Mortaliter
peccat
contra Religio-
nem faciens
Sacramen-
tum invali-
dum.